

statuatis: fingere me verba, et fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam illum, cuius impio facinore in has miserias projectus sum, eadem haec simulantem videam: et aliquando, aut apud vos, aut apud deos immortales, rerum humanarum cura oriatur; ut ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque praeclarus est, omnibus malis excruciat, inpietatis in parentem nostrum, fratriis mei necis, mearumque inisieriarum graves poenas reddat. Jam jam frater, animo meo carissime, quamquam tibi immaturo, et, unde minime decuit, vita erecta est: tamen laetandum magis, quam dolendum puto casum tuum. Non enim regnum, sed fugam, exilium, egestatem, et omnes has, quae me premunt, aerumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix, in tanta mala praecipitatus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum praebeo: incertus, quid agam, tuasne injurias persequar, ipse auxilii egens, an regno consulam, cuius vitae necisque potestas ex opibus alienis pendet? Utinam, emori fortunis meis honestus exitus esset, ne vivere contemptus viderer, si, defessus malis, injuriae concessissem. Nunc neque vivere lubet, neque mori licet sine dedecore. P. C. per vos, per liberos atque parentes vestros, per majestatem populi Romani, subvenite misero mihi; ite obviam injuriae, nolite pati regnum Numidia, quod vestrum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae tabescere.

III.

ORATIO SULLAE ad Bocchum regem.

Ex belli Jugurthini cap. CL.

Rex Bocche, magna laetitia nobis est, quum te tales virum dili monuere, ut aliquando pacem, quam bellum malles, neu te optimum cum pessimo omnium Jugurtha miscendo commaculares: simul nobis demieres acer-